

FELICITER!

SECTIO I.  
DE OVIBVS EARVMQVE AFFINIBVS.

CAPVT I.  
DE IVRE OVIVM IN GENERE.

§. I.

**F**orma & qualitatibus, praesertim si extra terminos Europae vagemur, multum inter se differunt oves, siquidem in Peru regione oves ad asellorum magnitudinem, longis cruribus & crasso corpore crescere, iisque praeterea caput longum ad effigiem Carmeli esse testis est CARDANVS *d. rer. variet. Lib. 7. cap. 31.* Sic OLAVS *in descript. Gent. Sept. Lib. 17. cap. 1.* refert, quod Insula Gothlandia arietes siue verueces producat ceteris robustiores & proceriores, quibus quaterna vel octona cornua crescant: tantumque ferociae a cornibus mutuant, vt tempore coitus, nisi serra vel lima demantur, ceteris animantibus sint nocumento ipsique pastori rebelles. Et BOETIVS *in Scotiae descript.* fecit mentionem montis cuiusdam in Gareota Scotiae regione (*Doundor*) aurei ab incolis appellati, quod oves in eo flauae sint, dentes coloris plane aurei habentes, carnes vero velut croco tinctas. Nec praetermittendum quod HERODOTVS de Arabia affirmit; esse nimirum ibidem duo ouium genera admiratione maxime digna, quorum vnum caudas habeat tam longas, vt non sint tribus breuiores cubitis: alterum vero ad cubitalem latitudinem caudas gerat. Praeter has referente IOH. BODINO *in Method. histor. cap. 4.* LEO AFER *Historicus* se vidisse affirmauit ouium Aegyptiarum caudas, quae pondere libras quinquaginta; interdum vero centum viginti aequarent. Ideoque vnumquemque pastorum doctum esse debere arte Fabrili, vt plostella faciant, quae singularum ouium caudis subli-